



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Cap. XVIII. De iis, quæ in §. I. affert contra Tamburinum Baronius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

consequens eos ad hoc hortari, erit peccatum mortale. Hec ille, qui explicat Joannem de la Cruz, Bañez, Orell. L. de sin apud Dianam mox citandum, quos in contrarium citat idem Dian. p. 3. et. 5. et. 4. atque, eos docere, non esse mortale ex parte iniustitiae, non vero, non esse mortale, ex parte perjurii.

4. Video doctrinam hanc, sed quoniam tota culpa refunditur in mendacium & perjurium, sequitur si solum esset mendacium sine iuramento, non esse mortale, quia quamvis hoc mendacium sit absolute de malogravi contra proximum, tamen cum iuste à me hoc damnum inferatur, non esset mihi imputandum ad grave. Atque hanc sequelam expressit conc. d. Harnard. & Bañez apud Dianam p. 9. tract. 8. ref. 43.

Secundo, etiam accedente iuramento, posset adhiberi equivoco, tum ad me, tum ab iis, quibus certa est mea innocentia, & sic vitari perjurium, & mendacium, quo solo posito, negant communiter Doctores, & ipse Delugo hanc sententiam. Si igitur hoc tollatur, non sunt huic doctrina contrarii, iuramento autem equivoco, etiam in iudicio, sed illegitimum sit, me licite posse uti docet Castropalaus cum aliis tom. 3. d. 1. de Iuramento p. 7. n. 1. ergo etiam in iudicio, ubi iniustus est testis, Videbitur igitur alii cui posse vitari mortale ab eo, qui, in praedicto casu, falsus, vel illegitimus testis culpa crimina impingit.

5. Adhuc amen incertum id esse pronuntio, ut quid enim? Si solum dicitur oportere probari esse illum testem, si excommunicatum, si hereticum? Sibi testis falsus id imputet, respondebit aliquis. Audio, sed adhuc haereo. Quid enim si sit necesse publicas scripturas ementiri, posset ne Notarius publicus ad hoc induci, si Notario constaret mea innocentia? Quidni? Respondebis. Id enim non est i. fidelis esse Reipub. sed maxime Fidelem, dum eiusdem Reip. sic innocentes defenduntur. Verum, si aperiatur huiusmodi ostium, quomodo stabunt publica iudicia? Inveniantur, respondebis, testes veri, ut sancta requirunt Tribunalia. Dum enim falsi testes quacumque arte repelluntur, publica iudicia firmantur, potius, non infirmantur. Sed ego iterum audio. Quia tamen adhuc durum audio, libenter nodum hunc in aliud tempus evolvendum reservo. An vero liceat crimen sibi imponere ad evitanda tormenta, dicam inferius c. 3. §. 6. Haecenus ille.

6. Quae jam lecta sunt manifeste te convincunt de falsitate, Baroni; nam Tamburino videtur a facili de-terminatio, Tamburinus haeret ad argumenta. Tamburinus in aliud tempus resolutionem differt, & tu tamen dicis, illius esse doctrinam, id fieri citra culpam posse? Quae est ista licentia fingendi? Olim didici à Poëta Lyrico illud toties decantatum Piëtoribus, atque P. è is, quilibet audendi semper fuit aequa potestas. Nunc discio, etiam Theologum & etiam Magistrum, etiam Praedicatorum posse, in re ipsa comminisci quaecumque velit. Haecenus super congerie Tamburino imputatorum, transamus ad alia, ad quae Baronius transit.

CAPVT XVIII.

De iis quae in §. 2. afferunt contra Tamburinum Baronius.

1. **T**Ria in hoc §. 2. pag. 73. jacula contorquet Baronius. Primo ait, se fidem habere nolle editioni Belgicae affirmanti, protectam fuisse in Inquisitione Italica Doctrinam Tamburini in Decalogo allatam.

Secundo, se tamen fidem magnam habere Curatis Parisiensibus, qui curant offerre supplicem libellum adversus ejusdem doctrinam.

Tertio amplificat, censurat, deestatur opiniones praedictas, quas (cum quanta veritate seu fidelitate supra vidisti, lector) in §. primo imputaverat Tamburino, atque inducit quaedam impias consecutiones ex ejusdem doctrina.

Separatim scribentibus si gola initium facientes in hoc Capite à primo, nam de ceteris scilicet in capitulis sequentibus commodius disputabimus.

De protectione Sacrae Inquisitionis Italicae super Decalogo Tamburini.

2. Baronius fidem non habet editioni Belgicae, & commentitium iudicat testimonium in favorem doctrinae Tamburini.

Profecto fatcor, commentitium esse praedictum testimonium de ea doctrina, quam fingit Baronius esse Tamburini. Quis enim approbaret eas propositiones, ut ipse ex magna parte cum falsitate refert; nam parca cum veritate refert et supradictis cuiusque e peripocatum est. Dico tamen verissimum esse suffragium Sanctae Inquisitionis de vera doctrina Tamburini. Legimus prius testimonium, & deinde illius veritatem in genis.

Epistola dedicatoria praefixa Decalogo Tamburini Insulis impresso.

Reverendissimo Domino D. Hieronymo de Vecchiis Abbati Montis-Regalis in Belgio, & Burgundiae Comitatu cum facultatibus Nunciij, Apostolico Internuncio.

3. **T**Homa Tamburini è Societate Jassu, viri cum primis eximii lucubrations eruditissimas Praedicta Theologia summam continentes, totaque Sicilia, & Italia celebratissimas nactus, huic etiam nostro Belgio ad famularem desideratissimam pacis auram post diuturnas gravissimorum bellorum tempestates, nunc primum respiranti, communicare cum esset visum, reverendissime Domine, capere circumspicere cuius potissimum auspicii istud aggrederetur, cum ecce venit in mentem, nihil praefer madam me fatuorum, si ad Reverendissimum Dominationis Vestrae splendorem accederem, ut ista sub hoc lucem aspicere, si ad istam amplitudinem confugerem, ut istas illa reverentia, ut protegeres, quas in Sicilia, quas in Italia à Cardinalibus maledicendi libidine securas reddiderunt Sancti Catholici Fidei Inquisitores. Et vero quis dubitet, &c. Insulis anno 1660.

Reverendiss. Dominationis Vestrae adjectissimus servus,

NICOLAUS DE RACHA.

4. Hoc testimonium fideliter esse relatum tum conjecturis, tum accessione alterius testimonii certum dico esse censendum.

Conjecturae sunt primo, verissimile non esse, dedicantem opus voluisse Nuntio Apostolico per solentem mendacium illudere. Secundo; Dedicatores huiusmodi solent antequam evulgentur, communicari Patronis, ad quos Dedicatio dirigitur, ne scilicet in aliquo, vel minime apice ea sit causa offensionis. Quare Reverendissimus Dominus nequaquam permisset inopiam (quae facile poterant Romae convinci) se condecorari. Tertio, credibile sit, ipsum Reverendissimum Intercunium hoc testimonium protectionis enarrasse in Belgio: cum enim Nuntius Apostol. frequentissimo commercio utantur cum Romana Curia, non erraret, qui putaret, ipsi Reverend. Domino Roma scriptum id fuisse.

5. Sed fac, nihili esse faciendas has conjecturas, adde aliud testimonium, quo praedictum (si liveat caritas) certo confirmatur.

Nam ego juratus, hoc est, testem mei dicti Domini O. M. invocans, affirmo, Virum omni exceptione maiorem, magnaque fide dignissimum enarrasse istum, se ab

Cap. XX. De iurgiis contra Doctr. Tamb. 509

hinc quinque circiter annos Romæ ob sua negotia commorantem audivisse, coram, à gravissimo Ministro Sacre Inquisitionis Rom. ipsum eundem Ministrum præsentem affuisse, quando ad dictam Sacre Inquisitionis Congregationem opus D. calogi P. Thomæ Tamburini (mibi videtur, addidisse etiam ejusdem tria opuscula, sed huius non bene memini) fuit allatum, diligenter fuisse lectum, eiusque propositiones, quæ insinuatæ erant cum libris ipsis, comparatæ, ac nihil inventum fuisse, quod expurgatione, aliave nota dignum censetur. Hæc vir ille Sacre Inquisitionis Minister; addens, aliud explicatius se enarrare, ob horum Ministrorum solemne secretum, nequaquam posse.

6. His ego, & quilibet non livore tactus, fidem habere cogimur, si Baronius refragatur, eredit sui Curatis, ut liber. Illud certe commendabile omnino fuit, quod Patres Sacre Inquisitionis Rom. mutilatæ doctrinæ compendiosa propositione contenti nequaquam fuerit, ut Antigonistæ Tamburini fecerunt, sed Codicem ipsum, sed contextum doctrinæ sed connexionem propositionum, & similia propriis oculis excurrere voluerunt.

CAPVT XIX.

De supplici libello Curatorum Parisiensium.

1. Secundo Baronius in d. §. 2. pag. 73. ait, se fidem magnam Curatis Parisiensibus habere, qui supplicem contra Tamburini Doctrinam libellum obtulere.

Miror ego, Baronium huiusmodi Curatorum libellum magni facere, cum ipse sciat, si non oblatum, si non admissum, si ab illis, ad quos dirigebatur approbatum nequaquam fuisse, quia fortasse non esse germanam doctrinam Tamburini, cognoverunt. Et sane si umbra tenuissima alicuius reprobationis contra eam doctrinam affuisset, pro quantum in ea exultaret Baronius! sed merito vel invitatus tacet.

Quare hic mihi nullum superest onus hunc libellum reflectendi, solum enim per absolutam negativam pronuntio, & in Superioribus jam ostendi, si propositiones illas supra cap. 1. allatas continebat huiusmodi libellus, ut ibi iacent, eas non esse, nec sapere Tamburini germanam doctrinam, exceptis, ut modo notabam, paucis propositionibus, quas ex Superioribus colligere quis poterit.

2. Quod tamen profert hac occasione Baronius æquis auribus audire non possum, nec debeo. Comparat Curatos illos cum Sacris Inquisitoribus Italiae, & audent dicere, eos non esse his inferiores. Hæc sunt eius verba dicta pag. 73.

3. BARON. Nec Inquisitoribus Sicilia, & Italia (quorum suffragium commentitium censo) hi Curati (Parisenses) pietatis, eruditionis, prudentie, integritatis opinione, aut etiam amplitudine potestatis in subditos, inferiores sunt, ut ex vera illorum expositione gravissima nota non vultur, & illi commendatio accedat ex Inquisitionum suffragio.

4. Itane tuis Parisiensibus Curatis (sicut alias præstantissimis) adularis, ut eos Superiores facias Eminentissimis Cardinalibus Romanam, seu Italianam Inquisitionem moderantibus? Ergo Prælatos gravissimos Sacre Italiane Inquisitionis Præfatos, Præstantissimos Viros à Summa Inquisitione Hispanica in Siciliam Delegatos, Sapientissimos Doctores, Theologos, Jurisconsultos, inter quos tui Sacri Ordinis plures doctissimi Magistri sedent; ergo, inquam, hos tuis Parochis æquales, vel inferiores existimas? Mirum: sed illud magis, quod addis (& etiam amplitudine potestatis in subditos) si enim intelligas de multitudine subditorum, si de amplitudine iurisdictionis, inquit, an plures sint subditi singulorum dictorum Curatorum, seu etiam

Paris III.

omnium collectivè sumptorum, quam subditi totius Regni Siciliae, totiusque Italiae? & iterum inquit, an Parochorum tuorum iurisdicção, & amplitudo potestatis se extendat ad ea, ad quæ latè excurrit iurisdicção Inquisitorum? Verum hæc ad meum institutum non pertinent.

CAPUT XX.

De iurgiis contra Doctrinam Tamburini; deque consequentiis impiis, quas ex illa male intellecta deducit Baronius.

1. Prior huius Cavillationis pars ex se, & ex dictis ruit. Ex se, quia quæ sunt mera verba, vel iurgia, statim atque contorta sunt, languescunt, si Christiana patientia tolerentur. Ex dictis, quia iam in superioribus capitibus huius Opusculi germanas Tamburini sententias mecum ponderavi, approbavitque quilibet non invidus lector. Et nota artificiosam Baronii amplificationem. Ea enim sabinde vertitur circa illud Tamburini verbum (probabilitas tenuis) & in hoc §. 2. Baronius rursus dicit, quasi à Tamburino dictum sit (probabilitas tenuissima) imò ut Rhetoricè gradatim amplificet, vocat illam, solum tenuissimæ probabilitatis, & nunquam meminit doctrinæ solemnem Tamburini, quæ ea tenuis probabilitas deficiatur ita ab opposita parte, ut jam amplius probabilitas non sit; sed iam de hoc in superioribus dictum est aliquid c. 2. n. 9. & c. 9. n. 8. & mox num. seq. & iterum & cap. 23.

Expendenda ergo solum à nobis est pars posterior dicti à Baronio. Hoc est, videntur sunt consecutiones impie, quas deduci posse ex Tamburini doctrina cavillari non dubitat. Eius autem consecutiones in forma dialectica dispositæ, hæc sunt in unico argumento, à me faciliore intelligentiæ gratia collectæ.

2. BARON. Ex Tamburino Omnis tenuissima probabilitas sufficit ad prudenter, atque adeo ad operandum citra culpam.

Sed Titius v. g. habet tenuissimam probabilitatem de mortalitate v. g. Animæ rationalis; quis enim dubitat esse de hac aliqua levissima fundamenta, & consequenter adesse tenuissimam aliquam probabilitatem? Idem de creatione mundi non facta à Deo. Idem de negatione existentia eiusdem Dei. Idem de libertate arbitrii non concordante cum gratia, & similibus, quis enim dubitat, de his adesse aliqua levissima fundamenta, &c.

Ergo Titius probabiliter, & prudenter operabitur, adeoque citra culpam, si assentiatur his propositionibus: Anima rationalis est immortalis. Deus mundum non creavit. Deus non est. Libertas non stat cum gratia, & similibus.

3. O dialecticum excellentem! quia usum distinctionum non usurpasti, ideo in fallacias fœde lapsus es. Distinguenda enim est maior, & minor tui syllogismi ex solida doctrina Tamburini, & sic respondendum.

TAMB. Omnis tenuissima, imò tenuis, imò mediocris probabilitas sufficit ad prudenter, atque adeo ad operandum citra culpam, quando hæc probabilitas absorbeatur ab opposita probabilitate, sicut absorbeatur candela à maiore luce, nego maiorem; quando non absorbeatur, concedo maiorem.

Sed Titius habet tenuem, vel etiam mediocrem probabilitatem de mortalitate animæ rationalis, quæ probabilitas non absorbeatur seu deiciatur ab opposita probabilitate, ergo maiorem; quæ absorbeatur, concedo maiorem. Idem dic de creatione mundi, non facta à Deo, de negatione existentia Dei, de libertate non concordante cum gratia, & similibus.

Ergo Titius probabiliter, & prudenter operabitur adeoque citra culpam, si assentiatur illis propositionibus, nego pernego, & quilibet non cæcus pernegabit impiam consequentiam, quia tunc non operabitur ex illa probabilitate, quæ iam deicienda fuit.

Vu 3

4. Quod